





DISSESSATIO POLITICO JURIDICA,  
DE  
**MAJESTATE**  
**LÆSA,**

Qvam...

*Favente Numinis Gratia.*

PRÆSIDE  
**DN. HENN. CHRISTOPH.  
GERDESIO,**

J. U. L. & Profess. Ordinario,  
Fautore multis nominibus colendo;

in Auditorio Majori

*ad Diem VII. Junii, Anno MDCCIII.*

*horis confuetis*

Modesto Eruditorum Examini  
& publicæ ventilationi

*submitit*

**MARTINUS BERNHARDI,**

Colberg. Pom.

*Author & Respondens.*

---

*GRYPHIS VV ALDIAE,*

Typis DANIELIS BENJAMINIS STARCKII,  
Reg. Academ. Typogr.



# BENEVOLE LECTOR

Ubjicim⁹ hic censuræ tuæ  
Dissertationem , fugi-  
ente crena de MAJESTATE  
LÆSA conscriptam . Ast  
libenter fatemur ultra  
vires fuisse, hanc materiam propter  
gravitatem & idoneæ suppellectilis  
defectum, plenissime tractare. Cum  
itaqve in nonnullis nos errasse, ut &  
omisisse aliqua nobis objeceris, non  
repugnamus. Jura enim ultra posse,  
neminem obligant, & qvi fecit qvan-  
tum potuit, officio est functus suo ;  
insuper Divinitatis est omnium habere  
memoriam & scientiam ; errare vero,  
non solum humanum, sed & qvotidia-  
num. Hinc eò impensis benevolen-  
tiā Lectoris exoramus, qvo magis  
iti-

itineris cujusdam improvisi necessitas, immaturum hunc foetum protrusit. Memineris itaque rogo & obtestor non superbam molem erigere mihi propositum fuisse, sed ut industriae specimen ederem, quod Patronis atque Promotoribus meis offerre possem. Si itaque haec ad palatum dicta Tibi non videntur, cum ratione corrigas, placideque monicas, monitus meliora seqvar. Tuum vero Nasutule judicium flocci pendo, praesertim si nondum proprietarum virium periculum feceris. Interim ne successibus desit auctoritas, ad Te benignissime DEUS extendo manus, benedicas labori huic ut in sempiternam nominis Tui gloriam dirigatur.

D I X I.

I. N. J.

# I. N. J.

THES. I.

§. 1.



Ndecorum atqve inconveniens nobis esset, de Majestate læsa Disputationem instituere, & gravissimam hanc materiam, omissionis initii atq; haud evicta vocabuli Majestatis origine, illotis qvod vulgo dicitur, manibus tractandam suscipere: Hinc anteqvam ad tractationem rerum accedamus, verbi Majestatis enodationem, aggrediemur, ut postea eò facilior sensus rerum sit, & intellecta verbi vi ac virtute, felicior ad scopum aditus pateat *L. 1. ff. de J. & J. L. 1. §. 1. ff. de Reb. Cred. L. 1. ff. de Paet.* Si itaque Criticorum excutimus opiniones; deprehendimus ipsos in derivando Majestatis vocabulo, potius in rem ipsam qvam proximum fontem inspicere. Festus & alii à Magnitudine in comparativo gradu, vel ut ita loqvar, à Majoritate diëtam volunt Majestatem: eò qvod major & sublimior, respectu cæterorum Magistratum, status & potestas sit. Nos vero cum diffusæ admodum & subactæ eruditio Viro, *Job. Posso de Art. Gram. L. 2. & Annal. c. 14.* breviore via, relictis aliorum sententiis, ab antiquo vocabulo Majus, hodie magnus, repetimus hujus vocabuli originem. Jupiter enim à Tusculanis Majus vocatus, qvia Princeps Deorum *Cic. in som. scip. p. 304.* Terra vero Maja, ut magna nostra

A

mater

46

mater dicta *Macrobi. Lib. 1. Saturnal. C. 12. p. 228.* Ab hoc itaque vocabulo denique Majestas pro magnitudine sua orta est.

§. 2. Deprehenditur porro Vocabulum Majestatis esse diversæ significationis : Accipitur enim vel pro reverenda illa amplitudine, qvæ ob merita virtutis imperantibus adhæret, vel pro impressa omnibus reverentia opinione de statu Regnantium. Et dicitur in L. 50. §. 1. de petit. bredit. Principalis authoritas, qvæ alias in L. 91. de bredit. inst. vocatur Principalis Majestas. Hanc vero insigni elogio Curtius honorat, cum L. 2. de reb. Gest. Alex. M. Imperii salutis dicit esse tutelam, sive arcem firmissimam ex qva Regnans se vindicet à contemtu & rebellione. Capitur etiam Majestatis vocabulum pro honoris cujusdam externi & officii splendore, & hoc spectat qvod de Tarquinio Prisco Florus refert ; in tipst. Histor. Rom. Libr. I. Cap. V. ampliassè eum senatus Majestatem. Et de Tyberio Sveton. c. 50. in ejus vit. conservatam Magistratibus & Senatu Majestatem pristinam ; licet sub servitute animam Res publica ageret Romana. Hoc approbatur in L. pen. de iust. & jur. Ubi Praetor salva Majestate Imperii, jus dicere fertur & L. 9. de jCdift. ubi contempta Majestas Praetoris vindicatur. Tandem etiam Dictatoribus & Consulibus hoc Majestatis nomen tributum, L. 2. de O. J. liv. 22. sed non aliter qvam qvatenus Majestatem populi principis repræsentabant. Cætera ejus farinæ, temporis angustiis præclusi, præterimus ; præcipue cum nulla præmissarum significationum dissertationi nostræ inserviat ; qvia hic per Majestatem intelligimus jus ipsum qvod in summa potestate, eamqve sequuta aueto-

47

auctoritate sive veneratione consistit. *Arnise. de Jur. Maj. C. I. n. 6.* Hoc vero in sequuturis Thesibus prolixius enucleatum dabimus.

§. 3. Hodie nis moribus, pro diversitate lingvarum, nomina hujus vocabuli Majestatis & Encomia sive Epitheta varia sunt, rem tamen unam exprimentia. Latinis dicitur, summa & absoluta potestas, summum imperium, summa Reipublicæ, potestatis plenitudo & fastigium *Vid. Cl. Pigler. Disput. de Maj. in Gen. Thes. XXV.* alias etiam jus Regium, Principalis potestas, Regia authoritas &c. quæ colligere licet ex politicorum & JCtorum monumentis. Gallis pronuntiatur souveraineté & souveraine Principaute souveraineté de l'Empire, souveraine puissance, perpetuelle & absolue sans restriction de temps ou de Condition. *Pierre Gharon en La sag:se Livr. I. Chap. 45.* Germanis pro diversitate personarum Kaiserliche oder Königliche Majestät / Gewalt / Hoheit / Macht und Vollkommenheit. *Vid. Dn. D. Ricc. in Disput. de Jur. Regal. Cap. I.*

## THES. II.

### §. 1.

**S**equitur nunc Majestatis divisio, ubi lexam consideraturos Majestatem nosse oportet, illud, quod omnibus etiam à limine tantum adyta jurisprudentiae salutantibus, ex L. 32. §. 4. de recept. & authentb. *Gazatos pr. C. de heret.* constat np. Majestatem esse duplarem eamq; rectè dispisci in divinam & humanam.

§. 2. Majestas divina, ut vocatur *pr. de concept. ff.* ad Tribon. ipse DEUS est, summum illud, æternum, unum, neq; mutabile nec interitum Numen ; ut

A. 2

Taciti:

Taciti: verbis loqvar *i. Histor.* Rex Regum & Dominus Dominantium, in cuius manu corda Regum sunt, & cuius ad gloriam Majestatis, tremere totus orbis jubetur. *Ez. XI. 10.* Hæc Majestas quia infinita est, & modulum nostrum excedit, accuratiorem descriptionem haud patitur. Paulus enim quamvis supremam mortalium sortem intuitus sit Majestatem, tamen ex visu isto, nobis revelare atque describere illam non potuit. Divinam vero hanc Majestatem homines laudent, vel generaliter; Cum conscientiam suam, contra ipsius Decreta sceleribus contaminant. Specialiter vero, & quidem primo; committendo Blasphemiam, cuius secundum Damhoud. *in pract. Crim. Cap. 61. num. 11.* tres sunt species. Cum Deo attribuitur quod ei non convenit; ut impotencia, injustitia, &c. Cum illi adimitur, quod ei propriè convenit; ut omnium rerum providentia, præscientia, &c. Aut denique cum creaturis attribuitur; quod DEO appropriatur. *Gillhaus. art. Crim. Cap. 2. de Blasphem. num. 3.* Aet severissime in hoc crimen, tam divino, quam humano jure animadversum legimus; *Lev. XXIV. 13. 14.* A quo nec Jus Civile Romanum recedit, quo ultimo supplicio Blasphemi puniuntur; per *Nov. 77.* Quæ tamen pena hodiernis temporibus mitigatur & vel in relegationem, vel in fustigacionem convertitur: Præsertim si dolore quodam commotus, aut per summam Ebrietatem quis blasphemaverit, nisi horrida fuerit; ubi adhuc ultimum supplicium obtinet. Qyalis condemnatio nonnullis ab hinc annis Collbergæ, Tympanistæ cuidam furti convicto obtigit; Cum ob furtum, virgis falcis more militari caesus, horridè blasphemasset.

S. 3. Vel



471

§. 3. Vel læditur Majestas pejerando, cum vel per alium quam verum DEUM juratur; ut illud nominatum inhibetur. *Exod. XXIII. Cap. XIII.* Vel etiam per vivum verum DEUM pejeratur. Hoc vero secundum consuetudinem Germanorum punitur, amputatione duorum digitorum, quibus erectis jurementum fuit præstatum; alibi aliter, & pro ratione circumstantiarum vel fustigatione, vel etiam relegatione per l. si duo §. fin. ff. de jure jur.

§. 4. Vel etiam DEUM abnegando & pactum cum Diabolo sive expressum sive tacitum ineundo. Quale delictum igne puniendum; præsertim si sagae insuper cum impuro isto spiritu concubuerint, aut hominibus nocuerint. Vid. Carpzov. *P. I. Q. 49. add. Constat. Crim. Art. 102.* Ast si quis tantummodo superstitionis remedii utatur; meretur solum poenam relegationis vel damnationis ad metallum, vel etiam carceris pro modo admissi Carpzov. *Part. IV. C. I. D. VIII.* Humana vero Majestas, harum jure divino & humano statutarum poenarum, Executor est; quam ideo in humani generis fastigio DEUS sublimavit, gladioque ac terrore succinxit; ut perverse dictis atque factis sua constet poena. *Rom. XIII. 4.* fuisus proponere Disputationis nostræ scopus non patitur; imprimis, cum quoties in jure nostro criminis læsa Majestatis mentione fit; id de humana, ad quam properamus plerumque subintelligatur.

### THES. III.

**S**equitur itaque humana Majestas; quæ juxta  
A 3 Bodin.

Bodin. L. I. de Republ. Cap. VII. & Graswinck. in Libert.  
Venet. Part. I. & II. ita definienda : Qvod sit summa &  
absoluta potestas, habens plenum perfectumq; ac per-  
petuum in Republ. imperandi jus, legibus solutum ;  
adeo, ut nec supra sublimiorem, nec prope se parem  
agnoscat in terris. Ex hac itaqve definitiōne suffi-  
cienter constat , qvod absolutē summa Majestas esse  
debeat ; ita qvidem ut nec primo superiorem, nec Im-  
perii ejusdem sociam agnoscat potestatem, qvam tre-  
mendam illam in Cœlis Divinam. Sicuti enim illud  
demum summum dicendum, qvod ante alios, & ante  
qvod nemo est; ut Jcti : loqui amant. L. 92. de V. S.  
ita etiam sūmma Majestas illa demum est, cuius actus  
alterius juri non subsunt, nec aliorum arbitrio irriti  
reddi possunt. Vid. Grot. de J. B. & P. L. I. C. III. De-  
inde secundo, ut omnes reliquias ditionis suæ po-  
testates, sub se complectatur ; libertatemve habeat illas  
coercendi; Frustra enim tam splendidum characterem  
Majestas haberet, nisi ipsum exercere posset. Tertio ut  
omnia ad hanc Majestatem summam referantur, nihil  
ipsa invita, nihil inscia, & denique nihil effectu juris  
gaudeat; nisi eadem concurrente vid Beckm. Confess.  
Doctrin. Polit. Cap. IV. in summa qvod in universo DEUS,  
qvod in corpore anima, id in ditione sive Regno  
summa Majestas est. DEUS vero non superiorem, nec  
corpus aliam animam agnoscit, ita etiam Majes-  
tas summa nec parem multo minus superiorem pati  
debet potestatem. Qvod Alexander Magnus pruden-  
ter innuit, legatis Persicis, nomine Darii Regis Asia-  
tici Regni divisionem, magnamqve præterea cum  
nuptiis Filiae auri vim offerentibus, hoc responsum  
impertiens : Nec Mundus duobus solibus nec duo  
summa

47

summa Regia, salvo terrarum statu possunt esse Curt.

*Libr. IV. Cap. I.*

§. 2. Ex tradita Majestatis definitione porro fluit; qvod perpetua esse debeat h. e. nullum potentiae finiem agnoscat, omni lege major & nullis finibus. circumscripta sit: vid. Graswinck. *in Dissert. de Jur. Maj.* Et quamvis Personæ illam Majestatem sustinentes, eidem cum cæteris hominibus communi necessitati fatali succumbant; manet tamen salva potestas, five Majestas summa; quia alia statim vel successionis, vel Electionis forte surrogatur vid. Grot. II. IX. III. Hinc Seneca prudenter dixit: Manet idem fluminis nomen, licet aqua transmissa sit. Vid. Beckmann. *in Conspect. Doctr. Polit.* Et hoc adeo verum est, ut ne fingi quidem possit summa, quæ non etiam perpetua sit. Vid. Besold. *de Maj. Cap. VI.* Magnam quidem fuisse vim Dictatoribus apud Romanos legimus, & eorum Edicta pro Numine observata *Livius* testatur. Ast cum illa potestas temporis angustiis coarctata fuit; Majestatis nomen haud mereri potuit. Bodin. *Ltb. I. Cap. VIII. p. 124.*

§. 3. Diximus quoque in definitione, qvod legibus soluta esse debeat; qvod cave de divinis subintelligas. Humana enim Majestas à Divina habet potestem ejusq; vices in terris gerit, & sic ab illa dependet. Hinc qvod DEUS præcipit Regi cedit in Legem adeo ut nulla excusatio, huic cultui ullum mortalium subtrahere possit. De naturali jure itidem res expedita est; non enim ex hoc scriptæ, sed natæ oriuntur leges, quas non didicimus, accepimus & legimus; sed ex natura hausimus, quæ ideo etiam immutabiles & indissolubiles; *Cic. pro Milon.* & *J. N.*

*d. J. N. & Gent. C. L. 2. §. 1. de usufr. ear. rer. qvæ usu cons.* Et  
qvibus Princeps omnino se obligatum fatebitur. Suc-  
centuriatur, deinde etiam, Juri Naturali, Jus Gen-  
tium; cui & ipsa summæ potestates subesse coguntur.  
Imperator hoc definit dictamen rectæ rationis, qvo  
omnes Gentes utantur *L. 1. de Just. & Jur.* qvodqve  
naturalis ratio inter omnes Gentes constituerit, *§. 1.*  
*J. de J. N. & G.* Hic igitur si qvæ qvaqua versum ob-  
servata sunt, cunctisqve Gentibus sancta & inviola-  
bilia habentur, ne quid iis abradatur, ipsa necessitas  
svadet. Qvæ vero non ubivis observata sunt, illa prin-  
ceps svadente necessitate, tanquam perpetuus Reipubl.  
Consul, determinare potest. *Nov. 10f. C. 5.* Veniunt po-  
stremo considerandæ Leges Civiles & positivæ, qvibus  
omnino Principes & Reges soluti sunt. Hæc enim  
Regum & Principum in diplomatis suis propria vox  
est qvod se non alios venerari superiores profitentur  
quam DEUM & gladium; multo minus ergo leges civi-  
les; qvæ si Principem obstringere debent, à superiore  
latæ sint necesse est. Qvem vero Princeps non agnoscit.  
Attamen qvia summis Majestatibus non ignotum illud  
politicorum Axioma; qvod Rex fit viva Lex & Lex sit  
internorum animorum Rex. Hinc non tantum alios,  
sed etiam se ipsos legum habenis moderantur, & in se  
ostendunt, qvod à subditis suis desiderant h. e. sponte  
ac ultro legibus civilibus positivis, vel Majorum vel  
suismet se se conformant; licet ad id nulla teneantur  
obligatione. Et digna sane vox est Principis, se Legi-  
bus alligatum profiteri. Hinc rejiciendum impurum  
illud Juliae ad Caracall. dictum. Si libet, licet. An  
nescis Te Imperatorem esse & Leges dare non acci-  
pere *Æl. Spart. ad Caracall. Cap. X.*

*Th. IV.*

*THES. IV.*

§. 1.

**E**T sic brevissime absolvimus definitionem & requi-  
sita Majestatis : **Qvi** uberiorem hac de re descri-  
ptionem desiderat, illum remittimus ad Politicorum  
amplos tractatus : Nos interim propositum aggre-  
diemur nostrum & describemus crimen illud, quo  
summa hæc Majestas læditur. Definitur hoc à Jctis,  
qvod sit Crimen publicum, qvo summa in Republica  
Majestas modis a Legibus notatis læditur; hoc vero  
multis variisque modis fieri posse certum est; five  
enim qvis directo adversus Principem aut Reipublicæ  
statum, five per indirectum contra dignitatem Prin-  
cipis atque Reipubl. hostilia machinetur; semper in-  
currit crimen læsa Majestatis ; **Qyod** tamen pro ra-  
tione circumstantiarum dividitur in crimen perduel-  
lionis & in crimen læsa Majestatis in specie sic dictum;  
uti hoc infra videbimus. Sciendum interim qvod  
Crimen hoc sit gravissimum & tam divino quam  
humano jure severè prohibitum : **Qvi** enim perscrutantur S. Scripturam experientur, enixè, velle DEUM  
ut Majestatum personæ subditis inviolabiles ac Sanctæ  
sint: qvia ipse Reges Unctos suos vocat, etiam verae  
religioni adversos; de qvo Regius Propheta Sam.  
dicit: qvis extendet manus suas in unctum Domini &  
innocens erit? Exemplo sit David, qvi utut optimam  
hostis sui, Regis Sauli interficiendi occasionem habe-  
ret, in spelunca deserti Engeddi, dixit tamen, absit à  
me, ut hoc faciam uncto Domini *1. Sam. XXIV. 9. 10. 11.*  
Hujus Exemplum si adhuc hodie homines imitaren-  
tur nec à tramite S. Scripturæ deviarent; haud opus  
B  
effet,

B

effet

esser, gravissimi huj<sup>o</sup> sceleris mentionem facere; multo minus illi pœnam statuere. Sed proh dolor! Adhuc hodie tam perfictæ frontis homines inveniuntur, qui fractis legum repagulis, horridis insidiis statum Republicæ turbare atqve Majestatem evertre conantur. Ne itaque dormiente justitia nequitia illorum crescat, gravissima huic criminis statuta est pœna in L. Jul. Maj. quæ hodie exigente necessitate sèpius exasperatur. Priusquam vero hac de pœna agamus, tria veniunt consideranda; 1. contra qvos, 2. à qvibus, & 3. qvo modo hoc crimen committatur.

THES. V.

**Q**uod primum in genere sciendum est, qvod hoc crimen adversus omnes summâ Majestate pollentes committatur. *per L. qvæqvis s. C. ad L. Jul. Maj.* Ast non soli Imperatori ejusmodi adscribimus Majestatem, more illorum, qui eum solum orbis terrarum Domini profitentur; Indeque cum Harprecht. statuant, crimen hoc solummodo committi adversus Imperatoriam Majestatem, sed potius cum Limneo dicimus, qvod adversus omnes Reges, Principes & Republicas liberam potestatem habentes hoc crimen committatur. Unusquisque enim Rex in suo territorio summus est & superiorem non agnoscit. Qui itaque contra Majestatem illorum hostilia molietur; illum publica vindicta persequetur. Et hoc quidem non vi legisJuliae Maj. sed vi juris Gentibus coñunis; qvod omnium Regnantium tuetur dignitatem. Vid. Besold. *in Dissert. de Mai.* Hinc valde detestabilis error est sceleratissimi Jesuitæ Mariani; *in Lib. de Inst. Reg.* qui sub specioso religionis prætextu docuit; qvod subditi

472

diti hæreticis Regibus & Principibus impunè resiste, illosque Regni ac sceptrorum reddere incapaces posint. At si populi arbitrio relictum esset, in Reges Imperium injustè exercentes, animadvertere; eosque soliis deturbare atqve occidere; qvæ non omnibus Rebuspubl. parata esset, Tyrannide major, Anarchia & confusio. Gallia sceleratæ hujus opinonis effectum in Heinrico III., teste Sleidano, Cont. Lundorp. L. 39. & IV. Meteran. Niederlandische Historie lugubribus tragœdiis experta est. Adeò ut Sextus V. Interfectorem clarissimi Regis summis extulerit laudibus, & in Divorum numerum collocaverit. Hinc cum summi ingenii Viro, Isaac. Casaubon. *in Spec. Epist. ad Reg. Britan.* sceleratissimum tantæ nequitia authorem, dignum judicamus, qvi simul cum scriptis suis; si adhuc in vivis esset combureretur. Hujus interim incerti sumus, an occidens Regem seu Principem tyrannice regnantem incurrat crimen Perduellionis: Hic in diversum abeunt Dt. Multi putant, qvod etiam jure divino olim hoc impunè licuerit, & porrò ad corroborandam hanc sententiam adducunt Senecæ illud in *Herc. furente*: qvod nulla major & amplior viætima Jovi maestri possit, qvam Rex iniquus. Sed defendant alii illorum sententiam, nobis contraria melior videtur; præsertim qvia, ut Grotius loquitur, repagula juris perfringit, qvi in illos, contra qvos nullum habet, jus dicit. Remedia enim humana adversus Principum injurias non dantur; licet sint gravissimæ; inde etiam in Concilio Constantiensi in sessione 15. vers. *princip.* justè damnata opinio Johannis Huss. dicentis; licitum esse imo meritorium, qvemlibet Tyrannum è medio tollere. De qvo plura

scribit Restaur. Pertus. in *Traç. de Imper.* qvæſ. 83. num. 4.  
Et aurea fane mihi videntur ista Taciti monita i2. annal.  
Ferenda semper esse Regum ingenia ; sicuti enim steri-  
litatem, nimios imbræ & cætera naturæ mala ; ita  
etiam luxum & avaritiam regnantium perferre cogi-  
mur ; & bonos quidem Reges exoptare ; malos vero  
tolerare debemus : Coronæ enim illorum capitibus  
impositæ omnes omnino defectus tollunt ; & DEUS  
subditos non constituit formatores morum Regum,  
sed jussit potius, obedientiam imperantibus præſtare :  
unde prudenter Artabanus Pers. apud Plutarch. dixit ;  
qvod inter omnes leges easque bonas, hæc optima sit  
Regem esse colendum & venerandum ut DEI fôs-  
tantis effigiem.

ſ. 2. Succedit nunc qvæſtio excutienda, an etiam  
in Imperatricem Romanam, sive alias Reginas crimen  
læſæ Majestatis committatur. Multi quidem cum  
Riemer. Illustr. Jurid. dec. ult. 9.1. hoc conantur appro-  
bare, nobis vero, qvia nullam hic agnoscimus Maje-  
statem, absonum illud videtur arg. L. 1. ff. Comm. pred.  
Majestas enim qvæ hoc crimine læditur, summa illa  
LL. soluta potestas est, qvæ neutriq; in Imperatri-  
cem, sive Reginam cadit L. 31. ff. de LL. qvare etiam  
Leges de iis plane silent, sine qvibus loqui, pudori  
noſtro neq; vaq; decorum Nov. 18. c. 5. Qvodsi vero  
Majestatis nomen iis attribuatur, sciendum, illud so-  
lummodo consistere in nudo tituli splendore ; & sic  
bene ab Imperijure fecernendum eſſe. At hoc tantum-  
modo de criminе perduellionis intelligendum. Nam  
ſi dignitas Imperatoris, sive Regis in statuis suis lædi-  
potest multo magis in Auguſta, sive Reginâ, & ſic  
omnino lædentes incurruunt crimen læſæ Majestatis in  
ſpecie

47

specie sic dictum. Qyodsi vero Reginæ hereditariæ sint, qvin etiam criminis perduellionis Rei fiant, qvi absolutam illarum, qvam habent, laedunt Majestatem, nullum est dubium. Deniqve huic paragrapho tribus verbis hæc adjicenda qvæstio. An etiam adversus Principem certis legibus ad culmen regium evectum, hoc crimen læsæ Majest. committatur; Qyod qvidem affirmandum, certa tamen limitatione atqve restrictione, de qvo in ipso conflictu.

S. 3. Sicuti vero illud, qvod de crimine perduellionis in præcedentibus diximus paragraphis, ad omnes omnino Principes & Reges publica auctoritate pollentes, extendendum; Ita etiam crimen qvæsi perduellionis non solum in eos, qvi Imperatoris, sed etiam in omnes Viros illustres, qvi Regum & Principum consiliis intersunt committitur; si nempe de nece illorum scelestæ contrahantur factiones, L. 4. C. b. t. splendorem enim à summa accipiunt Majestate, & sunt partes corporis Majestatici L. 5. print. C. ad Leg. Jul. Majest. atq; in expedientis negotiis publicis, representant personam Imperantis; hinc omnino sancti & inviolabiles habendi, ne Princeps saluberrimis illorum consiliis privetur, & sic respublica damnum inde sentiat. Qvo fine dubio respexit apud Xenoph. Cyrus, L. 8. de illorum necessitate ita dicens: non aureum sceptrum esse qvod Regnum conservat, custodiatq; sed copiam amicorum, eamque Regibus sceptrum esse firmissimum atqve verissimum.

### THES. VI.

N Unc ulterius progrederiemur & videbimus, qvænam  
B 3

nam sint personæ hoc crimen perpetrantes. Ubi statim jus civile nos docet; qvod solummodo hujus criminis rei fieri possint; qvi in Rempubl. cui nati, aut in Imperantem, cui subjecti sunt, hostiliter delinqunt. L. 29. ff. ad Mancip. Omnes itaqve peregrini, advenæ aut alii extranei hic excluduntur. Teste Bachov. an Trentler. volum. 2. Disp. 32. Th. 1. Lit. B. & qvidem ita, ut nec Vafallus, nisi simul sit subditus, hoc crimen in urrat, per Clement. 2. vers. de sentent. & rebus jud. Interim puniuntur tamen, si quid atrocius in Majestatem commiserint, non vero ut Rei criminis læsa Majestat. sed ut hostes Reipublicæ & Principis; Nec tam atrociter, qvia nullo vinculo Principi, sive Reipublicæ adstrieti sunt, vid. B. Ziegler. de J. Majest. L. 1. C. 2. §. 4. Fidem enim exuere aut fallere nemo potest, nisi sit subditus, & eam Reipublicæ tuendæ dederit, necut id faciat, naturâ sive pacto obligatus est. Arnus. L. 3. C. 6. Et licet qvis saepius ratione delicti, alterius forum agnoscere cogatur; tamen eo ipso non efficitur subditus, nec lædendo Majestatem committit crimen læsa Majestatis.

§. 2. Si vero generaliter consideremus personas Majestatem lædentes, patet; qvod etiam homines, qvi nullo obseqvii jure Reipublicæ adstrieti, sive sint æqualis fastigii, sive aliorum imperio subjecti, Majestatem lædere possint. Hinc si Princeps, extranei Principis vitæ insidietur, Legatos Confiliariosqve ejus violet, subditosqve bello invadat, aut ad rebellionem incitet, dubium vix habet, qvin tali casu Majestas lædatur. Verum qvia nullum datur Tribunal, ubi ejusmodi adversarii in jus vocari, & puniri possunt, itaqve ex gente

476

gente necessitate communi, Jus Gentium iis concessit  
armorum arbitrium, qvibus auxiliantibus jus suum  
defendere atq; injurias illatas vindicare possunt. §. 2  
I. d. J. N. & G. Et tunc ubivis hostem & qvocunque  
modo aggredi & lædere licet, qvia bellica jura sunt,  
insidiari vita hostium qvovis modo, etiam immisso  
percussore Grot. Lib. 3. C. 4. §. 18. Et hoc qvod de Imper-  
rantibus extraneis diximus, etiam in privatis, sive  
subditis alienis obtinet. Hi enim in illa Republica,  
cujus Principem, sive statum tranqvillum lædere co-  
nantur, comprehendendi & ad supplicium trahi possunt.  
Ait fallit hoc in legatis; qvia illorum corpora sancta  
sunt, hinc remittendi ad mittentem, ut aut dedat, aut  
Puniat illos; Grot. L. 2. C. 18. §. 4. Alii tamen alio  
abeunt, & hoc non necessitatibus, sed vel humanitatis,  
vel consilii esse statuunt, illusfr. Dn. Cacej. in Disput. de  
*Sancto Legato non impunes.*

THES. VII.

§. 1.

A bsolutis itaqve personis contra qvos & à qvibus  
huc crimen committatur; Nunc perscrutabimur  
modum crimen hoc committendi, distingendo statim  
inter crimen læsæ Majestatis (in specie sic dictum) &  
crimen perduellionis. Hujus Reus aliquis efficitur ho-  
stili animo aliqvid machinando contra Majestatem, cui  
subjectus, aut Rempublicam, cui natus. Illius vero,  
usurpando jura Majestatis, cudendo monētam, injussu  
Imperantis milites conscribendo. L. 3. ff. ad L. Jul. Maj.  
§. 2. Crimen itaqve perduellionis uti audivimus  
committitur, conspirando in necem Majestatis, vel  
interitum Reipubl. & dicitur uno nomine Reus hujus  
crimi-

eriminis, Perduellis, sive Rebellis, à rebellando. Hic  
vero nihil interest, sive quis solus, sive cum aliis,  
vel militibus, vel privatis hoc faciat, semper tene-  
tur *Lege quisquis C. ad L. Jul. Majestat.* nec differunt ab  
his transfugæ, per *L. Si quis aliquid ff. de pœn.* Qui  
olim à Scipione Africano devicta Cáthagine omnes,  
quotquot eō transfugerant, furca suspendebantur &  
securi percutiebantur. Ut vero breviter dicamus;  
Omnes, qui qvocunqve modo adversus Principem,  
vel Rempublicam aliquid machinantur; sive affe-  
ctent imperium, sive contra Rempublicam arma-  
ferant, sive ad hostes proditorias literas mittant, sive  
Principem folio deturbare allaborent, vel alio modo  
hostili animo interitum Principis intendant, omnes  
inqvam hi lædunt Majestatem Principis, sive Regis,  
cujus interest ne hoc fiat. Plura hac de re, qvilegere  
cupit videat D. Hieron. Gigantis *Tractatum de Crim.*  
*L. s. Majest.* Deinde etiam occidens consiliarium, suc-  
cessorem & collateralem Principis, incurrit crimen  
perduellionis vel potius, qvæsi perduellionis, praefer-  
tim si id fiat in odium Principis, secus si ex privata  
vindicta; voluntas enim & propositum distingvunt de-  
licta *L. qui injur. in in pr. 1. ff. de furt.* Incidit porro in  
crimen perduellionis aliquis ob solum conatum. *L. 5.*  
*C. b. t.* nec obstat qvod nemo cogitationum pœnam  
pati, nec voluntas in mente retenta qvicqvam operari  
debeat. per *L. Cogitationis ff. de pœn.* & *L. paul. num. 1. ff.*  
*de reb. dub.* jura enim ob gravitatem hujus sceleris,  
etiam conatum puniunt. Ast hoc non de nuda volun-  
tate, utpote de qya solus DEUS judicat, intelligendum,  
sed de tali, qvæ jam ad actum aliquem externum pro-  
gressa, arg. *L. cogitationis 18. ff. de pœn.* & tunc non sui  
causa,

causa, sed ob actum externum punitur. Vid. Beckm  
in *Coniect. Doctr. pol. C. XVII. de pen.* Pari pena etiam  
afficiuntur consciit hujus criminis, si justo tempore  
illud non patefaciant, L. 5. §. 6. & 7. C ad Leg. Jul. Maj.  
Qvod tamen de aliis quam qui quodammodo consiliis  
suis conspirationem adjuvant intellectum nolumus;  
cum illis enim qui sciunt & non indicant, mitius agen-  
dum est. Brunman. ad d. L. 5. §. 6. Strauch. *Dissertat.*  
*Jur. univ. 29. tb. 3. ibid. Thomas. in not.*

§. 4. Subsequitur nunc, criminis læsa Majestatis  
in specie sic dicti consideratio, qvod crimen omnes  
illi incurront, qui per indirectum contra Majestatis  
statum aut dignitatem aliquid machinantur. Hoc  
primo fit: Si sine autoritate superioris, Dux belli  
Gverram movet, L. 3. ff. ad Leg. Jul. Maj. Nam sicuti  
hoc infallibile signum Majestatis est; ita severè omnibus  
privatis interdictum, per L. *desertorem* §. qui in bello  
ff. de re militari. Et hoc exemplo suo comprobavit Epa-  
minondas, qui cum Thebani Exercitus contra Lace-  
dæmonios Ducem ageret, tempusque creandorum  
Magistratum instaret, idq; sine ipso in urbe fieri non  
posset, cum Prætor esset: Stesimbroto Filio commisit  
curam Exercitus, & ne cum hoste consereret manum  
eidem injunxit: At Filius hostium contumeliis laces-  
sus, in aciem contra illos descendit hostesque fudit  
& profligavit; sed cum reverso Patri laetus victoriā  
se obtulisset, ab eo quidem ceu victor coronatus, de-  
inde vero, quia iussa Parentis neglexerat, capite mul-  
tatuſ est. Quia etiam porro ab exitu belli sapissime  
fatus Reipubl. & dignitas Principum dependet; hinc  
nec ulli subditorum licet, inscio Principe cum hostibus  
pacisci. Tandem etiam omnes hujus criminis Rei fiunt;

qui injussu Imperatoris monetam cudent, illam falsificant, aut adulterant; *L. 2. Coa. de fals. Monet.* privatos carceres habent. *L. un. de privat. Carcer.* Milites sine licentia Principis conscribunt, *L. 3. ff. ad Leg. Jul. Maj.* Aut denique sigillo ejus utuntur, vel salvum conductum violant. Non subditus vero hoc crimen, exercecendo haec omnia, neutiquam incurrit; præsertim ut jam dictum, si hostis subditus sit.

§. 5. Restat adhuc quæstio enucleanda, an maledicens vel illudens Majestati, verbis jocosis vel satyricis, hujus criminis Reus fiat. Ad hanc quæstionem respondemus quidem affirmando; adjectis tamen certis limitationibus: Sine dubio enim, qui Principi maledicit, lædit ejus Majestatem, quæ salva esse non potest, si cuiuslibet inferioris maledictis subjaceat. Et Deus etiam expressè hoc prohibuit, *Exod. XXI.* Diis non detrahes, nec Principi populi tui maledices. Ait hoc primo limitandum, si ex levitate lingvæ factum (lubricum enim lingvæ non facile ad pœnam trahendum, ut dicit JCtus in *L. famosi ff. ad Leg. Jul. Majest.*) Secundo si verba injuriosa ex insanìa, furore aut summa ebrietate orta sint: Quibus casibus, ejusmodi delinquentes remittendi ad Principem *juxta Leg. un. C.* Si quis Imperat. mal. ut eos pro libitu extraordinariè puniat; sed haec lex venenum in cauda habere dicitur.

THES. VIII.

§. 1.

**A**bsolvimus itaque contra quos, à quibus & quovadis hoc crimen committatur, sive Majestas summa lædatur: Nunc opere pretium erit, pauca prioribus annexere de processu, qui duplice modo insti-

479

institui & absolví solet. I. summarie & levato qvafsi  
 velo, si Reipublicæ salus id exigat. L. 6. ff. de Accusat. L. 9.  
*de Officio Procons. Nov. 17. c. 3.* qvi sine ullo litium suffla-  
 mine, sine Advocatorum strepitu & judicij figura ad  
 finem perducendus ; Nempe removendo necessitatem  
 offerendi libellum, observandi dies feriatos, ferendi sen-  
 tentiam vel litem contestandi. Ejusmodi processus ab  
 Imperantibus communiter solet formari ; cum mag-  
 gnæ potentiae Ministros rebellionis seu prodictionis  
 convictos, tum, cum maximè sibi securi & Dominoru-  
 rum gratia certi videntur, absqve ulla prævia cogni-  
 tione, insperatos opprimunt : Qvod communiter manu  
 militari potius, qvam ordinario processu, ob securi-  
 tatem Reipubl. fieri solet. *per L. 3. ne vis fiat ei b. t.* Non  
 enim recipiunt moram scelerastæ factiones & cruentæ  
 seditiones, sed debet velox esse pereuntium suppli-  
 cium. Melius enim est in tempore sceleratis occur-  
 rere ausibus, qvam post vulneratam causam reme-  
 dium qvarere. L. 1. & L. fin. C. in qvib. caus. resist. & acce-  
 pto vulnere in medicina laborare. Barclay. in Argent. L. 2.  
 Inde etiam Agesilaus conspirationis Reos nocte  
 subito interfici jussit. Apud Romanos qvanvis nemo  
 jure XII. Tabularum indemnatus occidi possit ; In  
 tumultu tamen etiam privata manu, Lege Valeriam  
 perduellem tollere licet ; non quidem poenæ, sed  
 periculi evitandi causa. L. 6. §. 9. de injust. rupt. Ejus-  
 modi fatum habuit olim Marchio de L' Ancre, cum  
 fortunam nimis onerando defatigasset. Simili cata-  
 strophe priori seculo Albert. de Wallenstein, incon-  
 stantis fortunæ fabulam peregit. Verum ad hunc  
 decretorium stylum Princeps non ob solas suspicio-  
 num nebulas descendere debet, Marcell. L. 14, sed cer-  
 tissim.

tissimis suffultus probationibus, *L. 5. de pœn. L. 5. de Minor. L. ult. C. de probat.* Alias enim hoc remedium liberandi Rempublicam ab ejusmodi infidiis, degeneraret in crudelitatis & iniqvitatis signum; juxta exemplum Caroli IX. Regis Galliæ, qvi tot innocentium Virorum cædes & præsertim Colinii hoc prætextu velavit. Vid. Sleidan. *Cont. Lundorp. Thuan.* *L. 52. p. 1065.*

*§. 2.* Seqvitur nunc procesus, qvi coram Tribunali, adhibitis justis judiciorum solemnibus & accurata causæ ventilatione instituitur. Ad hujus perseptionem vero tres reqviruntur personæ, nempe Judex, Actor & Reus: Judex vero in hoc delicto secundum communem Doctorum opinionem, summa Reipublicæ Majestas est; cui soli, potestas hoc de crimine cognoscendi reservata. *Tib. Martb. de afflct. in Cap. 1. §. & bona committ. num. 18. in tit. qva sint Regal. de Usib. Feud.* Hinc etiam fons & origo omnium Magistratum suæ ditionis dicitur. Ast cum livori & odio valde obnoxium sit, in propria causa suffragium ferre; *L. 17. de Jua. & L. 10. de Jurisd.* solent plerumque Principes, sive Reges, qvæsi per modum arbitramentū, summis suis Tribunalibus aliisque supremis Judiciorum Collegiis, discussionem hujus criminis committere. Vid. Besold. *de appellat. C. 2. n. 9.*

*§. 3.* Viso Judice nunc progrediemur ad accusationem, qvæ est legitima criminis ad competentem Judicem vindictæ publicæ causa, facta delatio. Et hæc ob atrocitatem criminis hujus, omnibus subditis non tantum conceditur; sed secundum nonnullos, sub pœna injungitur. De qvo tamen non immerito dubites, nullibi enim accusandi necessitas imponitur illis, qvi scientiam conspirationis habent, sed ut prædant,

470

dant, patefaciant, atqve indicent. Satis itaqve esse  
videtur, si denuncient, ut inqvisitio institui possit.  
Bachov. ad Treutl. vol. 2. Disp. 32. Tb. 1. Lit. F. Ubi si-  
mul de poena reticentiae, qvæ est ipsa criminis læsa  
Majestatis pœna, aliquando levior. Deinde etiam  
omnes, qvi alias LL. prohibentur, de hoc crimine  
accusare possunt, ut infames, Milites, Mulieres, &c.  
*L. 7. pr. § 1. & 1. 8. b.t.* Aut qvos conditio naturæ, à judi-  
cijis alias arceret; Val. Max. L. 8. C. 3. ut Filius Patrem  
Nov. 15. C. 3. Frater Fratrem & deniqve Uxor Maritum  
*L. 8. §. 6. de repud.* Verum de ultimo casu multi hoc negant,  
& cum Andr. de Ifern. in Tit. de Uxor. dicunt, Mulie-  
rem non posse, nec debere accusare Maritum criminis  
læsa Majestatis, qvia in jure hoc nullibi ita, ut aliis  
personis, illi injungitur; Deinde etiam qvia obligatio  
qvam Conjuges inter se habent, de Jure Divino est &  
sic longe major obligatione, qvam subditi erga patriam  
vel Principem habent: Addunt tandem, qvod Mulier  
gravissimam committeret proditionem, si fidem con-  
jugalem, qvæ etiam hosti servanda, frangeret. Ast  
qvicqid sit, nobis tamen verior contraria videtur  
sententia, ob gravitatem hujus criminis, & ne scelera  
maneant tali occasione impunita atq; sic Reipublicæ  
interitum accelerent. Nemine vero deferente Judex  
ex officio in delicta inquirere & ad condemnationem  
procedere debet. Extrav. Hen. 7. C. 1. 2. Qvæ inqui-  
sitio vero in eo differt ab accusatione, qvod hæc, si  
non appareat qvo die facta, haud valeat; qvia dies  
in qvo producitur libellus, est de substantialibus per  
*L. Libellus ff. & L. in Caus. C. de Accus.* Illa vero, licet non  
appareat de die, tamen firma sit; Qvia dies, qvo qvis  
super ipsa inquisitione citatur, vel dies, qvo Reus in-

qvitioni respondet, poterit dici, dies formatæ inquisitionis. Interim vero sive per accusationem, sive per inquisitionem procedatur, semper Judices diligentissimi inquirendæ veritatis esse debent. *per text. in L. famosi §. 3. ff. ad L. Jul. Maj.* Si vero Princeps jubeat, sine ulla inquisitione & causæ cognitione, ejusmodi Reum morti tradere, parendum voluntati Principis, præfertim si id tendat ad conservationem tranquillii Rei-publicæ status. Princeps enim est animata lex & ejus acta præsumuntur legitimè facta, de qvibus subditis vix judicare, multo minus disputare licet.

§. 4. Rei vero hujus Criminis fieri possunt omnes omnino homines doli capaces, sive sint viri, sive fœminæ, sive plebeji, sive illustres, &c. Unde & Filios Principum ob hoc crimen legimus trucidatos. Phærasmenes enim Filium ut Proditorem interemit *Tanit.* *13. annal. c. 9.* Artaxerxes Darium Sabel. *L. 3. c. 3.* Et in summa omnes qvi superiorem agnoscunt, hoc crimen, nullo adhibito personarum, officiorum & dignitatuum respectu, incurront.

§. 5. Demum pauca dicenda veniunt de reliquis hujus judicii requisitis; qvorum primum est, citatio qvæ vel realis, vel verbalis & adeo necessaria est, ut Jūdex hāc omīssā, progreedi ad condemnationem nequeat. Qvia hunc in finem inventa, ut Reus defendendi occasionem impetrat, nec inauditus condemnetur. Hinc procedere contra non citatum nihil aliud est, qvam defensionem illi tollere; qvod vero tam divino, qvam humano jure prohibitum est. DEUS enim cui aperi-tissimum erat, Adamum transgressum fuisse ejus man-data & peccasse, anteqvam illum damnaret; vocavit eum tamen dicens, Adam, ubi es? *Genes. Cap. III. Cita-tionem*

46

tionem vero sequitur litis contestatio, & tunc Reo fē  
sistenti, capita accusationis eduntur; ut ad illa respon-  
deat. Litis contestationem deniq; diligens qvidem,  
sed summaria cause examinatio; Ubi Reo etiam adhi-  
bito Advocato innocentiam suam deducere, & suspi-  
cionis falsitatem judici demonstrare permittitur: Et  
tandem subseqvitur sententia, qvæ justa & neq; statutis  
neq; legibus contraria esse debet; Sententia enim  
contra expressam juris dispositionem lata, est ipso jure  
nulla per L. 1. §. 2. ff. Quæ sent. sine appell. rescind. Ast hæc  
tantummodo communia sunt; Qvænam autem singu-  
lariter in judicio Majestatis constituta, videantur apud  
Anthon. Matth. de Crimin. ad Lib. ff. 48. Tit. 2. Cap. 4. n. 1.

THESS. Ult.

§. 1.

Q Via itaq; in morte Principis & Reipublicæ pertur-  
batione, omnium subditorum status periclitatur,  
ut loquitur Decianus, Conf. 140. n. 29, gravissimam sine  
dubio, illi merentur pœnam; qvi uti antea dictum,  
vel in necem Principis, vel in perturbationem Reipub-  
licæ conspirant. Qvomodo vero ferro suo L. 81. C. ad  
Leg. Jul. Maj. & ultricibus suppliciis detonet in sceleratos  
hujus criminis Reos, breviter exponemus. Impe-  
rator Justinianus §. 3. J. de publ. judic. dictavit Reis hujus  
criminis amissionem animæ, L. 3. ff. b. t. L. 5. C. b. t.  
sed hæc pœna variis modis, à diversis Gentibus illis  
infertur. Apud Macedones olim saxis obruebantur,  
& Parentes, Liberi atq; Collaterales simul cum Reis  
morti tradebantur: Hoc vero pœnæ genus cum nimis  
durum Alexandro visum fuerit, mitigando illius duri-  
tatem, mortem tantum ad Reum restrinxit: ut testatur

2. Curt.

Q. Curt. L. 7. Apud Venetos, Rei hujus criminis suspensio necantur, per Ball. in Rubr. extr. de off. deleg. Nec abs re utuntur hoc mortis genere; sed ut imitentur gravissimum, Iudeæ CHRISTUM prodentis exemplum, de quo Nicol. de Lyra scribit: Qvod Proditor, dignam factis suis pœnam invenerit, dum guttur, ex quo vox prodierat, laqueo necaverit. In Gallia quatuor alle-gati Eqvis vivi dilaniuntur, Test. Hieron. Gigant. Apud nos pro ratione circumstantiarum pœna hæc nonnunquam mitigari, nonnunquam exasperari solet. Ita ut vel igne, vel gladio, vel dissectione in quatuor partes, postmodum in locis publicis suspendendas puniantur: Ordinat. Crimin. Carol. V. art. 124. Carpzov. in pr. Crim. q. 41. n. 89. & 92. Qvale atrox supplicium superiore anno capitaneus quidam, (cujus nomen honoris causa reticeo) Viennæ ideo sustinuit, qvod gravissimæ con-spirationis Reum, custodiæ suæ traditum, Principem alii referunt pecunia corruptus, è vinculis dimiserit & ita participem hujus criminis se reddiderit ..

§. 2. Deinde etiam memoria Rei post mortem damnatur, qvod approbatum in A. B. Tu. 24. & nihil aliud denotat, quam qvod Reus non sit lugendus, cadaver ejus inhumatum relinqendum, L. 1. C. de Cadav. L. 35. ff. Relig. & sumpt. fun. Insignia gentilitia ipsi adimenda, nomenq; è fastis radendum Tacit. annel. L. 3. Et deniq; ædes destruendæ ac omnia ejus bona fisco applicanda A. B. t. 24. L. 5. C. ad L. g. Jul. Maj. ff. Nov. 134. Cap. ult. Accidit autem confiscatio non ipso jure, sed post condemnationem. Nam ante manent Rei Domini bonorum suorum Dausent. Treutler. Vol. 2. Diff. 31. tb. 1. Lit. G. cui respondet Bachov. ibidem..

§. 3. De-

44

§. 3. Deinde cum etiam Principis & Reipublicæ  
securitas peculiariter munienda, extenditur pœna  
(vel qvocunqve alio nomine hoc qvicqvid est mali  
appellare placet) ad liberos qvoq; (aliquando etiam  
reciproce ad parentes, non tamen jure civili. Anthon.  
Matth. de Crim. L. 48. Tit. 2. Cap. 3. n. 17. sed jure nonnullorum locorum, ut de Gallia, adducto exemplo Ravailacci refert Beckm. in Conf. Doctr. Polit.) qui omnibus honoribus successionibusq; excluduntur. Et hoc partim ad abolendam omnem facinoris memoriam, partim ob præsumptionem odii paterni in ipsis hæfuri.  
L. 5. §. 1. C. b. t. A. B. t. 24. Nec est, qvod dicas iniqvum tamen videri ; ut liberi parentum, & parentes liberorum ferant iniqvitatem. L. 22. C. de pœn. Hic enim liberis nihil aufertur, qvam qvod Principis possident beneficio, (nempe fama, bona, & patria.) Et hoc Princeps licet jure qvodam Dominii iis afferre potest, si gravius inde Reipublicæ damnum immineat. Accedit, qvod perduellis fit hostis Reipublicæ, L. ult. If. ad Leg. Jul. Majest. imo eo detestabilior, quo minus de eo constat & sub specie boni & fidelis subditi latet ; In hostem vero ejusve liberos qvid non licet ? in extremam etiamsi redegeris servitutem, jure tamen id fecisse, putandus es. Vid. Dn. Hopp. ad §. 3. Instit. de publ. jud. Confer. Dn. Thomas. ad Strauch. Dissert. 29. tb. 4. verb. Et Liberis infamia. ubi L. 5. §. 1. optime explicat & simul ostendit, proprie pœnam non esse, qvod in filios statutum conf. Ziegler. ad Grot. Lib. 2. Cap. 21. §. 16. sed hæc, qvæ de filiis allata sunt, non æq; ad filias pertinent, capiunt enim ex bonis maternis falcidiam ; qvia minus ausuræ judicantur & mari bus semper sunt timidiiores per L. 5. §. 3. C. ad Leg. Jul.

D

Majest.

*Majest. an vero cognatis vel extraneis succedant!* Vid.  
Brunneman. ad d. l. s. §. 3.

§. 4. Notandum qvoq; qvod criminis qvafsi perduellionis, qvod scilicet committi solet in consiliarios Principis, eadem de Jure Civili videatur esse pœna, qvæ est atrocissimi illius criminis, qvo immediate summa læditur Majestas per L. s. C. de Crim. Læs. Mai. Hodie vero mitius cum illis agitur, qvi contra Consiliarios Principis aliquid moliuntur, gladio enim tantum puniuntur, addito qvandoqve pro ratione circumstantiarum majoris alicujus reatus judicio, ut nempe reus, vel forcipibus carentibus aduratur, &c. cum ille, qvi in ipsum summum Principem hoc perpetrat crimen, vel dissektione in partes, vel alia graviori pena afficiatur. Qvod tandem attinet crimen læsa Majestatis in specie sic dictum, illud pro ratione delictorum & circumstantiarum, vel capite absqve tamen confiscatione & publicatione bonorum ; conf. Bachov. ad Trentler. Vol. 2. Disput. 32. tb. 1. lit. G. aut memoriae defuncti condemnatione : Vel etiam relegatione, aut alia arbitraria punitur pœna. Vid. Hopp. ad §. 3. Inflit. de publ. jud. Conf. Carpz. in pr. Criminal. Qvest 41. n. 97. Hæc vero fusius exeqvi pagellarum & temporis angustia non permittit ; qvæ itaque dicenda restant, alii reservabo occasione, & hac vice portum assecutus vela complicabo. Tibi vero, Summe DEUS, pro gratiosis. simâ studiorum benedictione, aliisq; beneficiis maximis persolvo grates. Tibi porro esto curæ mearum actionum initium &

**FINIS.**

•(S)•:(O)•:(S)•

482

**S**Ugend steige mit Lust empor, so in Süd, Nord, Ost,  
als Westen/  
Wo sie ihren Glanz hinlenkt, findet sie, was  
ihr dient zum besten/  
Neid und Missgunst mögen rasen und versuchen ihre List/  
Sie bleibt davon unversehret, weil sie fest gegründet ist.  
Drückt wolt Ihm, mein wahrer Freund, daß Er diesem  
Schatz nachjage/  
Und mit unverdrohnem Fleiß sich heut außs Catheder waget/  
Ich ruff Ihm mit Herz und Munde diese cheure Worte zu/  
Gott belohn den Fleiß und Mühe künftig mit erwünsch-  
ter Ruh.

Dieses wolte dem Herrn Respondenten zurufen  
ein Ihm gewogener

### Freund.

**S**U Welt, Man weiß den Wehr der höchsten Majestät/  
Wodurch daß Regiment in seiner Ordnung geht/  
Der König mußt sich den Persern gar verhehlen/  
Es möcht der Anblick sonst der Ehre was abstechen.  
Der höchsten Obrigkeit legt man das Lob auch bey/  
Dass vom Gesetz Zwang sie ganz entbunden sey.  
O Kühnheit, darf Er denn die Majestät verlezen/  
So wird ja das Gesetz die Lebens-Straff Ihm sezen/  
Doch nein, die Sicherheit wird durch Ihn hergebracht/  
Die die verwegenen Verbrecher fürchteend mache.  
Nichts besseres könnt Er Ihm zu seinem Fleiß erwehlen/  
Wir solchen Grund gesetzt, dem kan der Bau nicht fehlten.

Dieses setzte dem Herrn Respondenter  
zu Ehren

**PHIL. BALTHAS. GERDESIUS,**  
Gryphiusw. Pom.

*Ardua*

**A**rdua BERNHARDI, magno molimine tentas,  
Quid Magistratem sit violare, doces.  
Nec tamen hoc mirum: Cui pectus abundat aceto  
Excelsis volvit mente reposa locis.

JOHAN. CHRISTOPH. GRUEL,  
LL. Stud.

**S**o muß/ mein wahrer Freund/ auch unsre Greiffen<sup>Stadt</sup>  
In ihrem Musen-Haus seit Eot für alle weisen/  
Was sein rechte muntrer Geist mit Ruhm verdienet hat/  
Und solches öffentlich auff der Catheder preisen.  
Apollo selber sieht die Schrift verwundernd an/  
Und denkt/ wie er sein Eob nach Würden mehren kan.  
Dieses wenige wolte aus obliegender Schuldigkeit  
zu dem grossen Ruhm des Herren Respondentis  
betrachten

FRANCISCUS WISCHMANNUS,  
Dondanga Curonus.

**S**o steigt/ mein wahrer Freund/ im Frühling seiner  
Jugend  
Parnassus Höhen an/ drümb siehet alle Welt  
Was für ein Kleinod Er in seinem Geiste hält/  
Und was für Ruhm Ihm schaffe die hochgepriesne Jugend.  
Ich freue mich darob und wünsch mit Mund und Herzen/  
Doch nicht der Zeiten Ross mög seinen Ruhm beschwärchen.  
So wolte an dem durch Fleiß erworbenen Ruhm  
seines hochgeschätzten Freundes Theil nehmen  
J. W. Reichel/  
LL. Stud.

(S)(X)(S)



Greifswald, Diss., 1702/05

ULB Halle  
004 564 162

3



TA → ÖL

mw 1 + 17 Stück verknüpft und  
f





Farbkarte #13

1703,

DISSERTATIO POLITICO JURIDICA,  
DE  
**MAJESTATE**  
**LÆSA,**  
Qvam  
*Favente Numinis Gratia.*

**PRÆSIDE**  
**DN. HENN. CHRISTOPH.**  
**GERDESIO,**  
J. U. L. & Profess. Ordinario,  
Fautore multis nominibus colendo ;  
**in Auditorio Majori**  
*ad Diem VII. Junii, Anno MDCCIII.*  
*boris consuetis*  
Modesto Eruditorum Examini  
& publicæ ventilationi  
*submittit.*

**MARTINUS BERNHARDI,**  
Colberg. Pom.  
*Author & Respondens.*

---

*GYPHIS VV ALDIE,*  
Typis DANIELIS BENJAMINIS STARCKII,  
Reg. Academ. Typogr.